

IN FESTO ANIMARUM.

EVANGELIUM. JOANNIS V.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora et hunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit Filio habere vitam in semetipso et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vite; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

CONCIONES.

- I. Purgatorium ostenditur.
- II. Probatica piscina typus purgatorii.
- III. Acerbitas poenarum purgatorii.
- IV. Gaudia seu solatia purgantium animarum.
- V. Incitamentum ad succurrendum animabus purgatorii.

- VI. Quibus modis eripiendæ e purgatorio animæ, seu de suffragiis defunctorum.
- VII. Media evadendi purgatorium.
- VIII. Meditatio mortis, quam utilis.
- IX. Resurrectio mortuorum ostenditur.

CONCIO I.

PURGATORIUM ASSERTITUR.

- I. Ex S. Scriptura. — II. Ex traditione apostolorum.
- III. Ex ratione. — IV. Ex figuris. — V. Ex ostentis. — VI. Ex historiis.

THEMA.

Nolite mirari hoc. Joan. V.

Hæretici nostri temporis persimiles mihi videntur obstinatis illis Judæis, quibuscum agebat Dominus in hodierno evangelio. Dixerat enim illis venire horam, quando mortui audient vocem Filii hominis, et ad vitam resurgent, et quod postea iudicandi essent a Filio hominis. Hoc vero cum adverteret Christus a Judæis nec credi nec libenter audiri, ideo mox subdidit: Nolite mirari quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vite, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii, quasi diceret: Veniet hora, quando reipsa experiemini id quod dico, cum scilicet in die iudicii vere mortui resurgent. Nimirum non libenter audiebant Judæi resurrectionem et iudicium, tamquam rem pertimescendam, licet scirent hanc doctrinam novam non esse, sed in libris suis jam olim traditam. Ad eundem modum hæretici nostri agunt

cum purgatorio: quia enim hoc illorum stomacho delicato et deliciis assueto displicet (licet sciant fundatum in Scriptura, traditum ab apostolis, creditum ab universa semper Ecclesia, roboratum esse rationibus, stabilitum innumeris exemplis et apparitionibus) ideo mirantur illud, et intuentur sicuti vacca novum ostium, eo quod vocem purgatorii in bibliis non legant. Sed nolite mirari hoc: majora horum videbitis o hæretici; et licet optandum esset ut reipsa aliquando experiremini veritatem purgatorii: quia tamen id non creditis, ex ardentiore balneo, quod vos manet, facile arguetis verum esse quod dicimus.

I. Scriptura attestatur. Quid enim sibi volunt illa verba II. Macchab. XII. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur? Si enim defuncti juvari nequeunt, vel adjumento non egent, quomodo sancta et salubris est cogitatio pro illis orare? Si ita ceciderunt ad austrum vel aquilonem, ut hæretici argumentantur ex Ecclesiastæ cap. XI. ut dimoveri amplius nequeant: quid suadet dicto loco, ut juventur? Immediatè autem scribitur Judam Macchabæum mille et ducentas drachmas misisse Jerolysimam, ut offerrentur pro peccatis mortuorum in bello. Ergone dicemus Judam hunc superstitiosum fuisse?

Secundo, Matth. XII. dixit Christus, peccatum

in Spiritum sanctum non remittendum neque in hoc sæculo neque in futuro, id est, difficillime remittendum. Ergo clare supponit in futuro sæculo aliqua remitti posse, ut deducit S. Augustinus, S. Gregorius, S. Beda, S. Bernardus et alii. Rident ad hoc hæretici, eo quod hoc loquendi modo Christus nil aliud voluerit dicere, quam nunquam remittendum: sed nos ridemus ipsos, quia licet sit loquendi modus, non debet tamen esse impertinens aut ineptus, utpote a Dei sapientia prolatus. Esset autem ineptum dicere: Ego nunquam ducam uxorem sive in hoc, sive in futuro sæculo; quia in illo sæculo non licet ducere uxorem: similiter inepta loquendi foret ratio illa, qua Christus usus est, nisi in illo sæculo dimitterentur aliqua peccata: quod absit, Christo imponere.

Tertio, quid sibi volunt illa verba apostoli? I. Cor. III. Si quis superædificat super fundamentum hoc (Christum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, uniuscujusque opus quale sit ignis probabit; si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Ubi non dubium per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligere apostolum aliquid stabile, solidum et præclarum, quales sunt virtutes et opera virtutum. Per lignum vero, fœnum et stipulam, aliquid vile, fluxum et temporale, quia sunt opera humana, quibus homo afficitur erga res humanas plusquam oportet, quamvis non supra Deum. Ignis itaque purgatorii ostendat, quale sit opus cujuscumque. Priora enim nihil ab eo urentur, sed posteriora, quia per illum tamen purgabuntur. Audi Origenem antiquissimum auctorem hunc in locum. hom. XII. in Jerem. et hom. VIII. in Levit. «Si, inquit, post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum et argentum et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris, verum et ligna, fœnum et stipulam: quid tibi vis fieri, cum anima sejuncta fuerit a corpore? Verum num ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno et stipula ut poluas regnum Dei? An propter lignum, fœnum et stipulam foris residere, et pro auro, argento et lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum, lignum vel stipulam, etc. Sic ille.

II. Probatur ex traditione apostolorum, ut patet ex S. Dionysio Areop. I. eccles. hierarch. cap.

VII. et Clemente papa, I. VI. constit. apost. cap. III. apostolorum discipulis, quorum ille testatur preces fundi a sacerdote super defunctum, ut Deus ipsi condonet universa peccata, quæ per humanam infirmitatem contraxit: hic vero jubet sine ulla exceptione convenire in cœmeteria, et sacros psalmos legi ac decantari pro his qui dormierunt. Ex quo sequitur juvari posse nostris precibus defunctorum animas; at non in cœlo existentes, quia his non egent; nec in inferno, quia ibi nulla redemptio aut poenarum mitigatio; ergo in loco alio, in quo purgandæ detinentur; hoc vero vocamus purgatorium. Denique, S. Augustinum, serm. XXXII. de verbis apostoli audiamus: «Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, inquit, et sacrificio salutaris, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt; hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque offerri commemoraretur. etc.» et S. Chrys. in c. I. ad Philipp. hom. III. ait: «Non frustra ab apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis, etc.»

Accedit consensus aliarum sectarum. Judæi enim in sabbatis suis, orant et faciunt eleemosynas pro animabus parentum et propinquorum suorum: similiter Mahometani in pervigiliis festorum suorum conveniunt in cœmeteria sua, et ibidem orant pro defunctis suis ac disperiunt eleemosynas atque edulia varia: Hussitæ peragunt vigiliis et exequias atque officia sua pro defunctis: denique, Aristoteles in problem. ait, æquius esse mortuis quam viventibus opitulari: et communiter ethnici precabantur suis defunctis: Sit tibi terra levis: alii variis modis defunctos honorabant: ipsi etiam hæretici plerique arcana quadam veritatis vi adacti, bene ipsis mortuis precantur, quod orationis quodam genus est.

III. Ostenditur ratione: nam imprimis ex Scripturis ss. patet, dimissa a Deo culpa non illico dimissam esse poenam omnem temporalem; sed manere reatum ut plurimum saltem ad poenam. Patet in Davide, cui dimissa adulterii et homicidii culpa, filius ejus morti datus est a Deo in poenam, II. Reg. XII. sic Absaloni dimissa erat a patre culpa, sed ipse non illico admissus est in conspectum patris: sic Moysi ad aquas contradictionis, dimissa quidem diffidentie culpa, sed

nihilominus ipse in poenam mortuus est in deserto, nec ingressus terram promissionis. Patet hoc idem in naturalibus. Abstracto enim a corpore telo non statim sanatur vulnus, sed remanet sanandum. Ad hæc, quia homo per peccatum advertit se ab infinito et incommutabili bono ad finitum et creaturam, ratione primi meretur poenam æternam, ratione secundi temporalem. Quare licet dimittatur prima, remanet tamen secunda, ut argumentantur D. Thomas, III. p. q. LXXXVI, ar. IV. manet ergo aliqua temporalis poena, post dimissam culpam, exsolvenda, quæ cum in hac vita non semper luatur, luenda restat in altera. Deinde, plurima sunt peccata venialia, quæ uti non separant a Deo, ita gehennam non merentur: vicissim etiam cælesti civitate, quæ tota aurum mundum est, indigna sunt, quia nihil coinquinatum intrabit in eam, ait Joannes, Apoc. XXI. Ut vero extra civitates solent esse certa valetudinaria seu lazareta, in quibus detinentur ad certum tempus, qui ab infectis veniunt locis; et ut scyphus aureus pulveribus obsitus non porrigitur regi, priusquam eluatur: ita animæ levioribus peccatis obnoxie non merentur Dei conspectum, donec purgentur: *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, dictum est heri, Matth. V. Imo hinc ipsæ defunctorum animæ, quæ necdum sordes omnes deposterunt, præeligunt in purgatorio luere, quam cum inquinamento celos ingredi: quemadmodum scribit S. Gertrudis, lib. V. insinuat. div. pietatis, apparuisse sibi animam religiosæ cujusdam sui monasterii tristi et dejecto vultu, licet magna fulgentem claritate et ornatu. Quam cum interrogasset, cur ita tristis esset in tanto ornatu, respondit anima, se necdum bene purgatam a maculis quibusdam, ideoque visioni Dei inidoneam: *Atque hoc affirmo*, inquit, *etiamsi mihi cælum pateret, retraherem me tamen inde, indignam me cognoscens purissimæ divinitatis contemplatione*. Restat igitur locum aliquem esse, in quo leviores illæ maculæ eluamur et temporales poenæ exsolvantur, siquidem cum istis plurimæ hinc discedunt animæ: et hoc est purgatorium.

IV. Confirmatur ex variis figuris, quas huic igni asserendo Deus in sacris litteris consignari voluit. Imprimis S. Ambrosius, in Psal. XVIII. *Retribuere servo tuo*, et Rupertus asserunt ad hunc denotandum positum fuisse ignem ante paradisum, et cherubim, ad educendum videlicet animas e purgatorio ad cælum: soror etiam Moysis ob murmurationem separata fuit extra castra ad tempus et post revocata, Num. XII. Absalon dimissa culpa non admittitur ad conspectum regis triennium, II. Reg. XIV. Josepho e carcere educto

tonduntur capilli, antequam intret ad regem et ministret illi, Gen. XLI. legati Davidis vestibus et barbis suis truncati ad regem non admitti sunt donec barbæ illis repullularent, II. Reg. X. Quæ omnia insinuat purgandas esse prius ab omni labe animas, quam in Dei aulam et conspectum veniant.

V. Accedunt hæc ostenta. Nam imprimis scribit Surius, in commentario suo sub annum Domini 1537. Cranzius Dan. I. II. c. XXIV. et Olaus M. I. II. c. III. in Islandia extare montem Heclam dictum, qui furit et ignem evomit ingentesque habet voragines, quibus plerumque vivi absorbentur: illicque visi mortuorum spiritus, qui in nota specie offeruntur familiaribus colloquiis hominum: cum igitur orant eos amici vel noti, ut domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se petere montem Heclam, ideoque disparent. Est et alius hiatus profundissimus in Hibernia, qui purgatorium S. Patricii vocatur. De quo Cranzius, ib. Cum enim S. Patricius prædicaret Hibernis, nec eos per miracula, nec per comminationem futurarum poenarum, nec per promissa cælestium gaudiorum posset convertere; Deus ab ipso rogatus locum indicavit per quem in purgatorium pateret aditus. Descendere in illud plures et quidem alii nunquam redierunt; alii vero redeuntes admiranda de poenarum acerbitatibus, quas illic visabant et experiebantur, recensebantur, inter quos Agneius miles, de quo Dionysius Carthus. lib. de quatuor novissimis de jud. animæ part. art. XXIV. Voluit autem Deus extare talia loca, ut purgatorii poenas hominibus persuaderet.

VI. Denique, ostenditur exemplis, quæ acciderunt frequentissima, et accidunt in hodiernum omni exceptione majora. Narratur in veterum annalibus a Pithæo editis, apud Baron. anno 874. Ludovicum I. imperatorem post triginta annos ab obitu suo apparuisse filio suo Ludovico II. eumque sic Latino sermone affatum esse: *Adjuvo te per D. N. J. C. ut me eripias ab his tormentis, in quibus detinesor; ut tandem aliquando vitam possim habere æternam*. Mox filius per cuncta sui regni monasteria epistolas destinavit, obnixè rogans, ut pro anima parentis, suis apud Deum precibus intervenirent. Venerabilis Beda, lib. V. hist. Anglorum, cap. XIII. scribit, anno 720. quemdam Anglum Driethelmum, suo tempore in Britannia obisse sub vespere ac mane revixisse: qui de morte sua hæc narrabat: « Cum corpore excessissem, conspexi quemdam vultu ac habitu candidum, qui me deduxit ad orientem: ubi vidi ad sinistram longam, latam, depressamque planitiem, cujus alterum latus ignis calidissi-

mus, alterum frigus ineffabile, grandines procellæque tenebant: plenum utrumque animarum ex altera in oppositam partem transilientium, quæ non ferentes estum properabant ad frigus: et vicissim frigoris impatientia recurrebant sine quiete ad æstum. Inde procedentes ad magnas venimus tenebras atque a longe flammæ de barathro vidi ascendere et globos igneos; quos in altum ejaculatos, idem recipiebat puteus. Quos accuratius speculatus adverti conglomeratas hominum esse animas: ex puteo autem circumquaque exhalabat fœtor incredibilis. Dum hæc adspectarem meus me dux deseruit, ac me expertem consilii solum reliquit. Magnus interim ad me deferebatur strepitus ejulantium et cachinantium et magnum vidi diabolorum exercitum cum sannis ac risu miseris quasdam secum trahere creaturas, ex quibus unus ecclesiasticus erat (utpote tonsus) alter laicus, tertio mulier; qui cum plurimo planctu ejulantes, lacrymantes agebantur in barathrum. Quo cum præcipitati essent, circumdederunt me ex illo puteo dæmones copiosi, fœtidum ignem ore, oculis, naribus evaporantes, qui forcipibus atque uncis candentibus trahere laborabant, nec tamen tangere aut ledere poterant. Supervenit tum angelus meus bonus instar stellæ coruscans, ac omnem illum gregem diffugavit: ac me austrum versus ad lumen grande, et parietem protensum duxit, quo continuo superato in longum patentemque campum ingredimur, pulchris odoriferisque sartum floribus, quorum suavitas omnem prioris loci expulit graveolentiam. Lux hujus loci omnem solis superabat claritudinem. Hic multæ candidorum turbæ se recreantium. At promovens, a longe lucem adspexi multo rutilantiore, cui prior comparata scintillula videbatur; inde cantum longe jucundissimum et dulcem excepi adstantem odorem. Cum penetrare cuperem, obvertit se angelus et divinam mihi indicavit voluntatem, ut videlicet corpus mundumque ad tempus inhabitarem, loca etiam quæ videram docens. Prior aiebat, purgatorium est, ubi torquentur qui pro peccatis suis in vita non satisfecerunt. Omnes hi novissimo die salvabuntur, multi etiam liberantur precibus, elemosynis, jejuniis vivorum ac maxime ss. missæ sacrificio. Locus alter igitur auditores, ipsæ se juvare nequeunt, juvenis infernus est; unde nulla redemptio. Tertius locus flosculus pulcherrimis consitus, eos recipit qui probe quidem vixerunt, non tamen ejus sunt perfectionis, ut statim celos introeant, qui omnes etiam ad cælestem gloriam, ad extremum judicii diem pertinent. Verum quorum verba, facta, et cogitationes perfecta sunt, continuo de corpore in cælum evolant, ille locus est quem contemplatus

es a longe. Jam itaque ad corpus tuum revertere, et quomodo vitam ex hoc instituas cogita. » Atque ita revixit Diethelmus, statimque surrexit et abiit ad villulæ oratorium, et usque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam in tres divisit portiones: e quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi retentam, statim pauperibus distribuit: nec multo post sæculi curis absolutus ad monasterium Mailros pervenit, acceptaque tonsura locum secretæ mansionis, quam providerat, abbas intravit et ibi usque ad diem mortis in tanta mentis et corporis contritione duravit, ut multa illum, quæ alios laterent, vel horrenda vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur. Etenim cum incredibili austeritate corpus suum vexaret, et fluminibus gelu concretis oraret et psalleret, dicentibus sociis: *Mirum frater Diethelme, quod tantam, frigoris asperitatem ulla ratione tolerare præveles*, respondebat ille: *Frigidiora ego vidi*. Et cum dicerent: *Mirum quod tam austeram tenere continentiam velis*, respondebat: *Austeriora ego vidi*. Sic usque ad diem suæ vocationis infatigabili cælestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana jejunia domabat, multisque verbo et conversatione saluti fuit. Sed quid vident in purgatorio hæretici, quod adeo id mirentur? Forte novam nominis rationem, quod apud veteres non sic dominetur? Atqui S. August. I. XXI. de civit. cap. XVI. vocat purgatorias poenas: et in Psal. XXXVII. emendatorium ignem. Ac licet in Scripturis non reperiatur vox purgatorium, parum id refert, quia neque vox Trinitas, ibi reperitur, ab ipsis tamen recipitur: sufficit rem ipsam in ss. litteris comprehendere.

Num forte quia Ecclesiastes, cap. XI. ait: *In quocumque loco ceciderit lignum; sive ad austrum sive ad aquilonem, ibi erit?* Atqui nihil hoc obest purgatorio. Vere enim ita est: si ceciderit homo in statu peccati mortalis, ibi manebit; si in statu gratiæ, etiam ibi erit; et siquidem ad purgatorium venerit, etiam ibi erit, quia seipsum ibi juvare non poterit, cum non sit amplius merendi tempus, sicut et arbor prostrata jam omni motu caret. At potest tamen moveri ab aliis; ita juvar quoque animæ nostris bonis operibus. Quando igitur auditores, ipsæ se juvare nequeunt, juvamus eas nos. Adhibeamus sudores elemosynarum, orationum, sacrificiorum, ut eas devolvamus ad statum æternæ felicitatis.

CONCIO II.

PROBATICA PISCINA TYPUS PURGATORII.

I. Descriptio purgatorii. — II. Solatia purgatorii. —
III. Pœnæ purgatorii. — IV. Redemptio e purgatorio.
— V. Suffragia pro purgantibus.

THEMA.

Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Joan. V.

Apposite sane legitur hodiernum evangelium in hoc die; ducit enim nos recta ad purgatorium, sed potius ad typum et figuram ejus clarum et expressum. Nam verba hodierni evangelii Christus est locutus, postquam sanavit ad piscinam paralyticum, Joan. V. et quidem illius miraculi occasione: piscina autem illa adeo exacte repræsentat purgatorium, ut non dicit possit melius.

I. Erat piscina probatica seu ovilis, sita ad portam gregis, cognomento Bethsaida. Piscina autem probatica, id est, ovilis dicta est, quod in ea oves mox immolandæ solerent abluï, vel secundum alios intestina hostiarum, ex communi doctorum sententia: Bethsaida autem significat vel domum effusionis ob influentes pluviales aquas; vel domum ubi misericordia ægrotis exhiberetur. Hujusmodi autem piscina est purgatorium.

Primo enim, sita est ad portam cœlestis Hierosolymæ ita scilicet, ut qui purgandum aliquid habet, prius in hanc divertere debeat, antequam civitatem intret. Porta ad cœlum omnibus subeunda est mors: post hanc adest mox piscina hæc, si quid est purgandum. Porta hæc gregis est, quia gregatim per eam imus.

Secundo, est probatica, id est, ovilis, quia in ea abluuntur a sordibus, id est, culpis venialibus et reatibus animæ illæ, quæ oves Christi sunt, et justæ, antequam Deo immolentur in templo gloriæ ejus. Vel rectius ibi lavantur mactatarum ovium intestina, id est, mortuorum justorum animæ a sordibus internis et occultis. Abulensis, in lib. III. Reg. c. VII. ait, sacerdotes in atrio mactasse hostiam, et excoriasse, postea attulisse ad hanc piscinam, ut intestina ejus effunderent et lavarent. Ita post mortem et judicium animæ purgandæ ducuntur ab angelis in purgatorium.

Tertio, Bethsaida est, sive significat domum effusionis, tum quia in id etiam Christus sanguinem suum effudit, de quo ait per psalmistam: *Sicut aqua effusus sum.* (Quo facit, quod aqua illius piscinæ secundum D. Hieronymum de locis Hebraicis, fuit quasi cruentis aquis rubens: et est hic sanguis et aqua fluens de latere Christi:) siquidem vi et merito illius purificantur illic ani-

mæ mediantibus Ecclesiæ suffragiis. Ecclesia im mittit quodammodo in id animas, dum eis ex thesauro meritorum Christi suffragia communicat; tum, quia in id animæ magno numero descendunt et velut pluvia influunt. Sive significat domum misericordiæ; quia quasi in quodam nosocomio, seu ut vocamus, lazareto, expectant Dei et hominum misericordiam, clamantes instar mendicorum et captivorum: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei,* Job XIX.

Quarto, piscina est, ob profunditatem moderatam, non quanta est putei; hic enim infernum, illa purgatorium significat. Ad piscinam descendere possumus per gradus, non ad puteum: ita nostris suffragiis possumus descendere ad purgatorium, non ad infernum.

II. Hæc piscina habuit quinque porticus, ut sub his ægroti considerent et sub umbra ac tecto non nihil solatii perciperent: sic etiam purgatorium habet quinque porticus, id est, quinque solatia, quæ alias explicui. Primum, quod sciant se esse in gratia: secundum, quod sciant se in gratiam confirmatos: tertium, quod æquanimiter tolerant pœnas illas, tamquam a Deo medico et patre sibi inflictas: quartum, quod sciant se innocentes seu vacuas jam a culpa: quintum, quod crebro visitentur ab angelis.

III. Jacebat in piscina multitudo languentium, id est, febricitantium, cæcorum, claudorum, ari-dorum: similiter in purgatorio quatuor potissimum miseriæ sunt animarum purgantium.

Prima, est pœna sensus et ignis: ecce tibi febrim eamque ardentissimam. O quam desiderant istæ potum ex sanguine Christi! Videntur dicere cum Davide: *O si quis mihi ferat aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem.*

Secunda, pœna damni, seu temporalis privatio beatitudinis; en tibi cæcitatem. Vehemens desiderium videndi habent cæci, sed multo majus animæ purgantes: quia expectant lumen, non quod muscis est commune, sed lumen gloriæ, quo Deus cernitur.

Tertia, confusio, quod pœnam illam tolerant, ut rei non ut martyres, hoc est, æquanimiter quidem et libenter, sed non electione et libere, adeoque ex hoc pede claudicant: quod illis utique confusionem aliquam parit, sicut cum ob delictum castigatur reus.

Quarta, ligatio, quæ adimit facultatem semet juvandi: et ecce tibi aridos. Velut enim aridi seu contracti membra sua nequeunt movere ad se juvandum; sed ab aliis pasci et moveri debent: ita etiam animæ illæ alienam tantum expectant opem, nullam sibi ipsis exhibere possunt: et sicut palmes aridus et abscissus nequit revirescere

aut fructum aliquem gignere: ita et ipsæ quia abscissæ sunt de terra viventium, et extra statum merendi, nequeunt sibi prodesse.

IV. Angelus Domini descendebat secundum tempus, id est, certis temporibus licet ignotis, in piscinam, et movebatur aqua: et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat. Fit et hoc suo modo in purgatorio. Suo enim tempore nobis incognito descendit Christus magni consilii angelus in purgatorium, et movet ac perturbat aquam meritorum suorum, dum scilicet applicat animabus merita passionis suæ. Vel etiam angelus Domini denotat sacerdotem, uti vocatur Malach. II. qui dum missam celebrat pro defunctis, sanguinem et merita Christi commovet et adhibet ad sanandas et liberandas animas illas. Generatim sacerdos movet sanguinem istum ad abluendas animas, quoties sacramentum aliquod administrat; uti enim aqua baptismali mota abluit infantes, ita sanguine Christi alios quoscumque, qui suscipiunt aliquod sacramentum. Et qui prior descendit, hoc est, qui potiora habet suffragia, prior liberatur.

Erat ibi homo triginta octo annos habens in infirmitate, qui proinde semper ibi jacens expectabat motum aquæ. Quod significat primo, multas animas longo tempore in purgatorio detineri, et quandoque ad diem usque judicii, uti patet ex historia Driethelmi, apud Bedam, l. V. c. XIII. et ex viâ S. Ludgardis apud Thomam Cantipratensem, III. tomo Surii, die 16. junii, ubi refertur, Innocentium papam III. apparuisse S. Ludgardi flammis circumdatum ac dixisse, cruciandum se esse pœnis acerbissimis usque ad diem judicii: et hic tamen erat pontifex omnium laudibus celebratus.

Secundo, supplicii tempus longius esse tempore, quo peccatum patrat. Id enim ex hac historia colligit S. Chrysost. *Ecce hic homo,* inquit, *non tot annis peccavit, quas pœnas dedit. Brevi peccatum patrat; morbi tormenta diuturna sunt.* Hunc etiam in modum cito morbum contrahimus, v. g. uno haustu grandiore: sed tarde convalescimus, ut experientia patet.

VI. Æger ad piscinam hominem desiderabat, a quo in eam mitteretur: *Hominem non habeo,* etc. ita animæ purgatorii juvandæ sunt a viventibus, et per eorum suffragia mittendæ in pretium sanguinis Christi, per sacrificia, eleemosynas, orationes, et jejunia illis applicata. Quod subsidium nisi eis præstemus, expectare debent, donec debitum suum exsolvant, atque ita demum a Christo eripiantur; quemadmodum hic paralyticus, qui nonnisi postquam *multum tempus* habuit, ut ait evangelista (quasi diceret postquam sat diu jam

ibi afflictor jacuit) a Christo est sanatus. Succurrendum. autem imprimis, quibus maxime obligamur.

Deinde, qui specialibus suffragiis destituti sunt: ut qui in bello juste occumbunt, vel in mari pereunt, aut barbarorum captivitate, vel tempore pestis, etc. Hi enim instar languidi istius ad nos clamare videntur: *Hominem non habeo, qui mittat me in piscinam.* Et propterea potissimum instituit Ecclesia communis mater suffragia hodierna, pro omnibus fidelibus, quia nimirum multi specialibus destituuntur, ut habetur de consecr. dist. I. c. Visum.

CONCIO III.

DE ACERBITATE PœNARUM PURGATORII.

I. Pœna damni. — II. Pœna sensus. — III. Durationis incertitudo. — IV. Ligatio et impotentia.

THEMA.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cor. XV.

Cum hodiernam epistolam S. Pauli legi, nesciebam fere utrum ille nobis læta, an vero tristitia nuntiet, dum ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, etc.* Lætum videtur nuntium; quid enim optatius, quam induere corpus immortale? Triste vero videtur, quia sine magnis cruciatibus fieri vix poterit, ut corpus mortale et peccatis subditum exuat mortalem pellem, induatque immortalitatem. Unde I. Cor. VIII. ait: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Patiendum igitur est, si vetustam pellem cum nova, si mortalem cum immortali volumus permutare. Huic vero mutationi non alia officina est, quam purgatorium: hoc balneum, hæc tonstrina est, ubi acutis unguibus sordidæ fricantur animæ, ubi longiores capilli mordaci tondentur forfice. Nihil hic ridendum: omnia seria et tremenda sunt, uti nunc audiemus.

I. Acerbissima est pœna purgatorii, ob pœnam damni quamvis temporalem tantum; impediuntur enim animæ et retardantur a Dei visione et summi boni consecutione, quo postquam a corporibus solutæ sunt, toto impetu feruntur. Et hanc pœnam existimat S. Thomas, in IV. sent. d. XXX. q. II. art. I. esse maximam: cum enim ob culpas suas retardentur et prohibeantur a conspectu Dei, vehementissime anguntur. Cum famelicus canis venaticus videt de prope currentem leporem, et cum jam apprehensurus illum esset retinetur et impeditur quam vehementer

dolet? Non ita in hoc ergastulo ferimur in Deum, tum quia per sensuum ministerium obscure intelligimus omnia, praesertim vero Deum; tum quia deliniti corporalibus oblectationibus, in his occupamur, nec de spiritualibus adeo solliciti sumus, atque ita quasi a longe et incerto leporem gloriae intuemur: unde et parum movemur. Deinde, sumus sicut canis in culina nutritus, qui venationem parum curat. Neutrum impedimentum habent animae, quominus exacte apprehendant Deum et hereditatem suam. Atque huc ad summum bonum maxime feruntur impetu: atque cum ipso cursu a praeda retardantur, vehementissime angustiantur. Quod si sancti viri adhuc in corpore existentes cupiebant dissolvi et esse cum Christo, sicut apostolus Paulus, et David, cum dixit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, Psal. XLI. et rursum: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae?* et iterum: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* quid facient a corpore soluti? Quod si obijcias, sanctos patres in limbo Deum non vidisse, usque ad resurrectionem Christi, et tamen nulla damni poena propterea cruciatus esse, respondeo, patres in limbo cruciatus non esse quamvis Deum non viderent, quia sciebant non differri se culpa sua a visione Dei, sed quia tempus illius magni boni nondum advenerat. At qui post caelum reseratum damnantur ad purgatorium, optime noverunt sibi jam patere caelum, et solum se impediri ob proprium reatum, et inde sibi vehementer irascuntur et torquentur, quod ipsi sibi causa sint dilationis tanti boni: sicut cum famelicus audit pulsari campanam ad mensam, et interim se ipse forte inclusit in aliquo loco, unde egredi nequeat. Nondum datus erat pulsus ad caeleste convivium ante resurrectionem Christi: ideo patres limbi sine molestia expectabant. Sed cum resurrexit Dominus, terra mota est, et denuntiavit tunc incipere caeleste convivium, ideoque missi statim in orbem discipuli, qui invitatos vocarent ad nuptias, dicerentque quia parata sunt omnia, tauri et altitia occisa. Similiter qui venit ante initium comediae, et aliquamdiu expectare debet, nihil inde angitur; sed qui sua culpa tardius venit, et magnam partem negligit, ille sibi irascitur. Nondum erat exhibitum pretium redemptionis, dum in limbo essent patres, ideo gloria caelestis nondum erat illis debita. Quatuor ergo sunt, quae hanc poenam acuunt. Primum, quod videant se tanto privari bono, et quidem eo tempore, quo illo fruendum erat. Veluti si quis adoptatus a rege ejiceretur in exilium aliquot annorum, quando regni possessio jamjam accipienda erat: secundum, quod videant

id fieri ob suam culpam: tertium, quod neglexerint suo tempore pro illa culpa satisfacere, cum facillime possent: quartum, quod ingentes caelestium bonorum thesauros et gradus sua culpa neglexerint.

II. Ob poenam sensus, quae est ignis, ut apparet ex I. Corinth. VIII. et ss. patribus. Ille vero acerbissimus erit: sic enim S. Augustinus, in explanatione Psalmi XXXVII. ait: « Quia dicitur, salvus erit, (I. Corint. VIII. scilicet) contemnitur ille ignis: ita plane quamvis salvi per ignem gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita: » et S. Gregorius in eundem psalmum inquit: « Illum transitorium ignem omni tribulatione aestimo praesenti intolerabiliorem. » In eundem psalmum venerabilis Beda docet, poenam illam graviores esse, quam quidquid passi sunt latrones, vel ss. martyres: et S. Hilarius Arelatensis episcopus, anno circiter 506. scripsit: *Intolerabilior ignis erit purgatorius omnibus, quae in hac vita conspici vel concipi possint, tormentis*. Idem habent venerabilis Beda, S. Anselmus, S. Bernardus et alii. Ratio est primo, quia idem specie erit cum infernali; idem enim ignis purificat aurum, et paleas comburit, ait S. Augustinus: secundo, quia agit per poenitentiam obedientialem; elevatur enim a Deo ut instrumentum justitiae divinae; non nutritur ligno aut oleo. Quis nescit gladium in manu gigantis fortius ferire, quam in manu pueri aut debilis? Quid ergo faciet ignis in manu Dei? Experti sunt hoc Judaei, cum flagello facto de funiculis ejecti sunt a Christo de templo, Joan. II. experti Philistaei, cum eorum mille occidit Samson sola asini mandibula, Jud. XIV. Communicat enim gigas instrumento vires suas, quo facit id, quod scribit Barletius, de Georgio Castrioto, dicto Scanderberg, lib. I. de vita ejus et rebus gestis, cap. LXXXII. Hujus enim gladium, quo in praeliis uteretur, Mahometes Turcarum imperator hostisque acerrimus videre cupivit: et data cautione missum sibi accepit; sed nemo tanti roboris in aula Turcica repertus fuit, qui eo commode et perite uti posset, ita ut Mahometes remisso eo veluti supposititio gladio se hostili animo et arte delusum esse renuntiari jusserit. Cui Scandebergius rescripsit se bona fide et absque furore malo misisse acinacem suam, quo in praeliis uteretur; verum manum et brachium suum, quo medios Turcas proscindere, transversus dividere et deartuare soleret, non misisse. Sic mittit nobis tunc Deus plagas, sed non manum suam, etc. propterea S. Job orabat: *Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar: manum tuam a longe fac a me, et formido tua non me ter-*

reat, cap. XIII. Tertio, quia affligit immediate animam, quae est principium et fons sensibilitatis. Eandem veperationem acius sentit nobis quispiam tenellus, quam rusticus operosus; oculus quam pes; sic existimare in proposito licet.

Exemplum refert Petrus Damiani, libello de miraculis ad Desiderium. Coloniensis enim clericus fluminis vadum trajiciens, obvium habuit B. Severinum episcopum jam defunctum. Admirans igitur tam sanctum virum ibi demersum, ab eo petiit, quid ibi ageret? Respondit vero Severinus: *Da mihi manum tuam et quae circa me, non auditu discas, sed tactu*; cumque datam manum fluctibus impressisset, tantus eam ardor absorbet, ut undique carnes ejus resolutae diffuerent, et ossa nuda vix haerentibus articulis remanerent. Petiitque clericus, quae ex culpa tot tormentis affligeretur, responsumque habuit: Non alia, nisi quod canonicarum horarum quotidianum pensum aulae curis distractus, mane simul, non per intervalla recitaverit; sed si sacrificia pro se obtulerit, inde se evasurum sperare. Ubi tamen Baronius, anno 1062. censet pro Severino legendum Peregrinum, qui fuit archiepiscopus Coloniensis.

III. Ob durationis incertitudinem, ut putant aliqui, et ut plurimum prolongationem. Quando aeger affixus lecto jacet noctu in magnis doloribus et nescit horam noctis; similiter quando cum desiderio expectat medicum, et nescit utrum et quando venturus sit, vehementer angitur. Sicangebatur Absalon, quod ob delictum suum arce-ret eum pater a conspectu suo, quia dixerat David: *Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat*. Quocirca cum jam duobus annis faciem patris non vidisset, misit ad Joab rogans, ut sibi impetraret apud patrem, liceret sibi prodire in conspectum ejus; cumque Joab venire nollet, misit Absalon famulos in segetem ejus, ut succenderent illam, et sic venire eum cogerent. Cui tandem venienti dixit: *Obsecro ut videam faciem regis, quod si memor est iniquitatis meae, interficiat me*, II. Reg. XIV. Multo majus desiderium videndi Deum habet anima justi postquam a corpore soluta est, quia exacte cognoscit et apprehendit summum bonum tamquam sibi convenientissimum et debitum. Quid ergo sentient animae, cum a conspectu desideratissimi patris se extor-tes vident, et nesciunt quamdiu? Quid mirum, si quandoque ex permissione Dei ad nos veniant et tumultus excitent? O quam saepe illi quaerent ex angelis custodibus: *Custos quid de nocte?* Quae hora liberationis meae? Quantum adhuc restat? Non videmus quam impatientes sint infirmi? Modo quaeruntur de medicis, modo de famuli ab-

sentia, modo de hujus, modo de alterius amici. Ecce hic non venit? inquit. Ubi ille tam diu moratur? Sic creditote mihi, quaeruntur animae purgantes de amicorum tarditate in auxilio porrigendo.

Augeat vero hanc doloris causam, quod communiter diutius durant poenae purgatorii, quam poenae hujus mundi. Ratio est, quia tam multas contrahimus in vita sordes, ac proinde longa indigent purgatione et lotionem. Quis nescit caminorum purgatores, quia omnes caminos perrepunt difficillime et vix lavari? Et unde nisi quia nigredo plurima adheret eorum cuti? Jam vero nos quam multa quotidie nigredine obducimus animas nostras? Omnibus negotiis nos ingerimus, etiam ad nos nihil pertinentibus, omnes ludos, omnes tabernas, omnia fora, omnia conventicula, omnia dedicationum festa percurrimus, et per hoc multas sordes induimus.

Certe Thomas Cantiprat. scribit in vita B. Ludgardis virginis, Innocentium III. papam ipsi apparuisse ingenti flamma cinctum, et dixisse se poenis purgatorii atrocissimis usque ad diem iudicii addictum esse. Qui tamen laudabilis pontifex et in oculis hominum non probus et prudens solum, sed etiam sanctus et imitatione dignissimus habebatur. Et sane Ecclesia ex vetustissima consuetudine celebrat anniversarios defunctorum perpetuos: unde colligitur quasdam animas diutissime purgari.

Jam si quis certus esse se dentium aut calculi dolore continuos viginti annos sine ulla intermissione laboraturum, sic ut neque somnum capere, neque requiescere posset, mallet ille mori potius, quam sic vivere: et si optio daretur, an vellet sic tot annos vivere, an jacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo omnes fortunas abjiceret, ut a tam immani dolore liberaretur.

Experire quid sit vel per horam uri; tene digitum super lumen vel ad medium quadrantem; omnium poenarum gravissimam experimur ignem. Verum in hac vita non potest esse diuturna, at vero in altera vita potest, et quidem sempiterna esse. Cogita quid esset spectare in foro reos per per horam cremari vivos? Quid per diem? Annum? Saeculum?

IV. Obligationem et quodammodo paralyisin, quae nec se nec alios juvare possunt, sed vel expectare tantum ab hominibus auxilium debent, vel solvere novissimum quadrantem. Hic in terris vix quisquam est, tamen miser, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos invocando, vel appellando ad aliud iudicium, vel misericordiam iudicis implorando aliave ratione se a cruciatibus saltem ex parte liberare: at in purgato-

rio nihil omnino possunt animæ, nisi patienter tolerare.

Magna miseria est paralysis, quæ hominem eadem affligit loco, et sibi suppetias ferre non sinit: non adimit tamen illi vocem aliaque media, quibus opem sibi procurare potest: sed pœna purgatorii omnimoda est paralysis; nec enim nisi ex speciali gratia hominum opem implorare permittitur a Deo.

Quare si centurio ille pro puero suo paralytico ipsemet se in pedes dedit et ad Christum ivit, quia paralyticus ire non poterat, dicens: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur, magis id nos facere debemus*, pro animabus fratrum et propinquorum nostrorum: adire videlicet Deum per orationem et bona opera, et salutem eis postulare.

Quinto, quia non ex electione, sed ex coactione divinæ justitiæ pœnam illam subeunt. Libenter quidem acceptam illam, et æquo animo ferunt atque ita ex necessitate virtutem faciunt, non tamen ipsi sibi pœnam eligunt, sed a iudice irrogatam ob culpas suas subeant, id quod mea sententia non parum affligit animas; cum vident se pati ut reos. Passi sunt ss. martyres, sed innocenter, et multi ad supplicia non raptati fuere, sed ultro accurrere; idcirco non modo sine confusione, sed etiam cum gloria patiebantur.

Aliter patiuntur rei; licet enim pœnitentes et lubentes patiantur suæ satisfactione justitiam resarciant, quam peccando violant, non tamen sine confusione patiuntur; quia ut rei ob culpas suas. Ideoque I. Pet. IV. dicit Sanctus Petrus: *Nemo vestrum patitur, quasi homicida, aut fur, aut maledictus*. Hinc ergo bonæ illæ animæ multum confundentur, præsertim si per manus diaboli, veluti carnificis castigentur, quod aliqui existimant. Cum enim tunc Deum ardentissime diligant, quomodo non acerrime debeant, quod a Patre sui amantissimo, tamquam prævaricatores tractari verbis debeant? Quantum enim affligeretur filius principis, si ob aliquod delictum suum a proprio parente plecti deberet.

ex discursu duo colligamus. Primum, quanta charitate, diligentia et celeritate animabus illis succurrere debeamus: secundum, quantum nobis cavere debeamus a purgatorio.

Cum enim hic levi pœnitentia eluere possimus reatus nostros, quæ insania est differre illos ad tam durum balneum? Dic enim mihi, quæso: Num tu malles intrare fornacem an aquam? Pœnitentia hic aqua est, Zach. XII. *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris*: purgatorium autem ignis est, de quo Malach. III. *Sedebit Do-*

minus quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum. Quare sicuti Naaman merito reprehendatur a famulis suis, quod a lepræ suæ curatione detrectaret descendere in Jordanem et septies lavare, quod præscripserat illi Elisæus, IV. Reg. IV. sic merito reprehendendi sunt, et seipsos aliquando reprehendent, qui hic detrectant septem sacramentorum balneum levissimum. Si enim rem grandem præcepisset nobis Deus, facere deberemus, quanto magis tam facilem? Attendere deberent ad eos, qui purgatorium aliquando viderunt et ad vitam redierunt, quid postea fecerint. Unus apud Climacum se inclusit per annos duodecim et nihil amplius locutus est: alii rigidum vivendi genus assumpserunt: S. Christina (ut refert Thomas Cantiprat. in ejus vita, et Jacobus de Vitriaco cardinalis, in præfatione vitæ B. Mariæ de Oignies fide dignissimi scriptores) post obitum ad purgatorium deducta; postea ad corpus reducta pro liberandis animabus, quas viderat purgantes, mirabilia fecit. Ingrediebatur in arduos clibanos, ubi horrende cruciabatur, sine læsione tamen exibat: sub aqua Mosæ fluminis tempore hiberno crebro et diu morabatur, sex et amplius diebus in eo perdurans: interdum in aquis orans simul cum illis ferebatur in rota molendini, atque ita horrendum in modum circumacta cum ipsa rota membris omnibus mansit incolumis: quandoque mediis noctibus totius oppidi Trudonensis canes in se concitans ante illos ipsam insectantes instar feræ cujusdam cursitabat; sicque per vepres et dumeta ab illis agitata lacerabatur, sed nulla vulnorum vestigia cernebantur, etc.

CONCIO IV.

GAUDIA SEU SOLATIA ANIMARUM PURGATORII.

I. Sunt in statu gratiæ. — II. Sunt certi de salute. — III. Sunt innocentes. — IV. Sunt æquanimis et patientes. — V. Habent consortium bonorum et solatia angelorum.

THEMA.

Deo gratias, qui dabit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. I. Cor. XV.

Cum populus Hebræus rediisset e captivitate Babylonica in patriam, jamque fundamenta templi jecisset, cepit magnis vocibus partim lætis, partim tristibus, júbilo et fletu exclamare et laudare Deum: *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*. Nec poterat quisquam

agnoscere vocem clamoris lætantium et vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno et vox audiebatur procul; uti legimus, I. Esd. III. Ipsum hoc, auditores contingere videtur in animabus purgatorii, quæ de hujus vitæ exilio ad cœlestem patriam digressæ templum cœlestis gloriæ, tametsi nondum perfecerunt, fundarunt tamen et possident certa spe, tametsi nondum re. Hæ igitur in purgatorio vocem partim jubilantium, partim flentium commixtim inter sese extollunt: flentium quidem quia in pœnis sunt; jubilantium vero, quia aliquot solatiis omne terrenum gaudium excedentibus perfunduntur. Sane vocem jubilantium videtur sibi Ecclesia auribus percipere, quando in hodierna epistola vocem Sancti Pauli animabus illis tribuere videtur: *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*! sed quæ gaudia, dicetis, quæ solatia in purgatorio, audiamus.

I. Gratulantur sibi quod jam sint in statu gratiæ, et merito sane, quantum enim bonum est cœlestis gloriæ arrham habere? Hunc certe statum David gaudium vocat et lætitiæ, Psalm. I. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiæ; et exultabunt ossa humiliata*: gaudium, inquam, veluti testem aliquem et indicem internæ gratiæ. Quam igitur putatis, exultabunt fidelium animæ, dum considerant certe se esse in gratia Dei? Sed unde dicetis, hoc intelligunt? Certenon solum ex iudicio peracto, non solum ex loco, quo consistunt, non solum ex remorsu, quem nullum habent, non solum ex dilectione, qua erga Deum feruntur; sed etiam ex splendore cœlestis gratiæ, quem in seipsis intuentur; siquidem: *Gratia* (juxta mag. sententiarum, in III. q. LXXIX.) *est candor lucis æternæ, animam pulchram reddit, intellectum deificat et voluntatem inflammat*. Quemadmodum ergo radius solaris in speculo imprimit pulcherrimum solis simulacrum: ita gratia Dei in homine divinam quamdam similitudinem.

Quod si igitur Beata Catharina Sennensis ex inspectione animæ in gratia constitutæ adeo delectata est, ut confessario suo dicere non dubitaret: « O pater si tibi esset intueri animam hominis in gratia Dei constitutam: propter amorem ac salutem animæ tuæ in prædam te dares cuicumque tribulationi, tormentis et cruciatibus quibuscumque, et pati non unam dumtaxat, sed mille mortes eligeres; » quomodo non maxime pergaudebunt illæ animæ, cum in se ejusmodi splendorem videbunt.

II. Deo gratias agunt, de bono perseverantiæ: et hoc quanto excellentius sit priore illo facile

patet. Cadere enim de gratia quis potest, de perseverantia non potest. Hoc advertens David, L. Psalmo, inquit: *Redde mihi lætitiæ salutaris tui, et Spiritu principali confirma me*, quasi diceret: Non adeo mihi profuit fuisse in gratia, quam per adulterium perdidisti: obsecro igitur Domine, redde mihi priorem illam lætitiæ, sed ita ut amplius a facie tua non projiciar; quinimo ut in gratia confirmet Spiritu principali, et (ut alia littera habet) *potenti*. Et dubium non est, exauditum esse Davidem. Communis enim sententia habet, eum post adulterium et homicidium lethaliter ultra non deliquisse, probatur ex Psalm. CXIV. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia eripuit pedes meos a lapsu*. Hæc enim vera requies, vera lætitiæ, amplius labi non potest.

Omnes nos instabiles sumus; et si sciremus nos gratia Dei præditos, nesciremus permansuros. Unde Paulus, I. Corinth. X. ait: *Qui stat, videat ne cadat*. Onerant agricolæ currum tritico aut feno et mox furculas currui admovent, currumque, ne in profluentem aut paludem corruat, quosque domum perveniant, sustentant. Pari modo nos, licet Dei gratia repleti et quodammodo onusti simus, labi tamen et currum animæ nostræ evertere possumus. Idcirco semper in timore esse, omnemque adhibere operam debemus, ne gratia nobis excidat. Non ita purgantes animæ, quæ currum illum suum salvum jam et incolumem ad terminum vexere, ut deinceps gratia nequeant excidere. Dicite jam, quantum putatis ipsarum gaudium? De S. Francisco scribit S. Bonav. in vita ejus, quod, cum audisset ex revelatione prædestinatum sese confirmatumque in gratia, tanta fuerit occupatus lætitiæ, ut per integros octo dies neque cibi meminisse, neque etiam sacrarum precum, quin potius usque et usque toto pectore exultaret, id solum effatus: *Laudetur Dominus*. Non est dubium, charissimi, hoc idem evenire fidelibus, qui in gratia sunt defuncti, cum certo intelligant, sese licet alligatos purgatorio, de gloria tamen securos.

III. Gratulantur sibi ac Deo gratias agunt de dono innocentie. Docet enim S. Thomas, q. VII. de peccato veniali, quod quamprimum alicui animæ post mortem revelatum fuerit, eam esse in Dei gratia, actum charitatis tam intensum eliciat, qui omnem penitus expellat culpam venialem, idque non per modum meriti, sed per modum impossibilitatis; quemadmodum is qui in camera magnum aliquem excitaret ignem, frigus expelleret, licet in hunc finem ignem non accenderit. Hoc etiam donum postulabat David, cum dixit supr. L. Ps. *Cor mundum crea in me*